

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM







DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio Vicesima Tertia*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallensis

Rectore


*Respondente*

JOHANNE MELCHIORE Starckhoff

Erfurtens. Thuringo

IN FESTO PASCHATIS.

A.O. R. cl. l. c. IIII.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-

*schlegelij*

*Dn. Knt.*



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

Disputatio Vice-Rectoris

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectoris

Respondens

JOHANNI MELCHIORE CANTORIO

Elbener Thurngo

IN FESTO PASCHÆ

M. D. C. C. L. C. C. C.

HALLIS SAXONUM

Prothomas Melchioris Oct.

schlegel





ANALYSIS  
 EVANGELII  
 IN FESTO  
 PASCHATOS

*Marc. 16. v. 1. usq. ad 9.*

Πεγαύλιον.



*Onas mari fremente e-  
 jectus navi, absorptus à cete  
 per triduum mansit in ventre lo-  
 na 2. 11. Deinde effusus quasi re-  
 divivus stetit in litore. At ecce*

*hic plusquam Ionas Luc. 11, 32. IESUS, qui  
 ubi navigavit mare redemptionis, seviit tem-  
 pestas iustitie, ejectus absorbetur à ventre ter-  
 re, & triduo tenetur in morte, denuo tamen  
 post mortem redditur vitali aura, Matth. 12,  
 40. Id quod pluribus describitur in Evange-  
 lica pericope.*

Qq

THE.



## THESIS I.

**I**N qua habetur partim mulierum ad monumentum excursitatio: Circa quam occurrit, tum modi declaratio, & est ad unguendum præparatio v. 1. In quo partim habetur temporis circumstantia: Et cum præterisset Sabbathum. Quod finiri solebat circa vesperam: quia circa eam ordiri solent Iudæi diem: Ἀγχινοῦσι enim significat interdum prætereo, ut etiam usurpat Plutarchus. Et intelligitur Sabbathum magnum, in quo nil quicquam operis externi Iudæis peragere licebat. Ut discamus Christum revera quievisse & in sepulchro per integrum Sabbathum jacesse.

2. Tum habetur persona, cujus notatur accidens nomen, quod vel geminum, ut est; Maria Magdalena. Quæ prima nominatur, quia liberata à septem Demonis Luc. 8, 2. Marc. 16, 1. Ut discamus eos esse sollicitos de Christo, qui liberati sunt à Diabolo. Non quidem Maria Lazari soror fuit, uti vult historia Lombardica, neq; illa peccatrix Luc. 7, 47. quia ista post liberationem à Demonio statim in consortium Christi admissa, eumq; secuta, Luc. 8, 3. 2. quia ipsum nunquam deseruit



seruit, sed etiam sub cruce mansit Matth. 27, 56. & quia 3. post mortem ab eo non recessit, sed quo repositus probè observavit Matth. 27, 61. Cui etiam propterea Christus apparuit Marci 16, 9. Qua omnia de peccatrice (nunquam enim Maria vocatur) non leguntur. Id quod etiam Clemens Romanus in constitu. Apostolorum lib. 3. cap. 6. innuit, dum Mariam Magdalenam à Maria sorore Lazari distinguit; ut & Origenes tract. 35. in Mathezum, Basilus Seleuciensis in hom. de Lazaro, & Augustinus lib. 2. de consen. Evangel. cap. 79. Videatur etiam Pircamerus in dissert. de Maria Magdalena. Ut discamus distinguere personas, nec statim assurgere communi opinioni.

3. Et Maria Jacobi. Minoris nempe Apostoli & fratris eius, Iosès mater: Jacobum enim & Iohannem, ex Alphæo susceperat Matth. 10, 3. Duæ verò unius nominis mulieres duas significant plebes, pari devotione Christi passionem & resurrectionem amplectentes. Ut discamus Maria nomen magnificare, non autem adorare.

4. Vel est simplex; Salome. Quæ fuit soror Iosephi, mater filiorum Zebedæi Matth. 27, 56. Et licet pronuper repulsam

Q 9

propter



propter filios passa, tamen mansit constantē  
 apud Christum, & reliquis sese associavit. Lu-  
 cas addit Iohannam conjugem Chuse procura-  
 toris Herodis, aliasq; mulieres cap. 24, 1. & 10.  
 Quibus tamen Maria mater Domini, licet  
 Sedulius censeat lib. 5. carm. non interfuit,  
 quū officium ungenti defunctorum corpora, nō  
 à proximis præstabatur, sed à vicinis, vel ab a-  
 mnicis. Ita Iacobus unctus est, non à filio Ioseph,  
 sed à medicis Gen. 50, 7. Et quia lachrymis  
 & doloribus obruta exire noluit. Mulieres ve-  
 ro leguntur unctura, & non Apostoli, quia qui  
 de Paradiso perfidiam sumserat, festinat fidem  
 desumere de sepulchro, habet Chrysol. serm.  
 74. Non est ergo mirum, habet Idem serm.  
 79. Si ad lachrymas, ad funus, ad sepulchrum,  
 ad obsequium Dominici corporis femina ar-  
 dentiores Apostolis hic videntur.

5. Et effectum absolutum; Emerunt  
 aromata. Idq; factum in die parasceves ante  
 Sabbathum, uti habet Lucas cap. 33, 56.  
 Non verò occidit Sole die Sabbathi, uti vult  
 Glossa: Nec contrariatur Marcus, qui dicit,  
 Sabbatho factum: quum ἡμέρας explican-  
 dum per præteritum plusquamperfectum: Ut  
 sensus sit, cū præterisset Sabbathum, aromata,  
 quæ emerant in die parasceves, preparasse, uti  
 Lucas



Lucas ait. Et quidem prepararunt, sicuti testantur Rabbini, ex myrrha, aloe, cedromelle, cera, resina, bitumine, sale &c. per totam noctem, qua initium erat primi diei Sabbathorum: Nempe necesse est, ut videamus quae facta sunt, quo cogitemus etiam quae nobis sint ex eorum imitatione facienda, ait Geegor. hom. 21. in Evang. Et ut emant aromata tres mulieres, secundum Bernhardum serm. 2. de resurrectione Domini mens, lingua, manus; Mens compassionis affectum, dehinc rectitudinis Zelum, & inter haec discretionis Spiritum, nummo propriae voluntatis: Lingua, modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo, nummo confessionis: Manus continentiam in carne, misericordiam in fratre, patientiam in pietate, nummo subjectionis.

6. Respectivè quoad finem; Ut venientes ungerent ipsum. Pro consuetudine Iudeorum, uti patet Gen. 50, 2. Quam consuetudinem ab Aegyptiis sumse: ant. quo omnes superfluae humiditates consumerentur & cadavera defunctorum ita exsiccarentur, ut quasi aenea redderentur, quae & lingua sua, August. asserente serm. 120. de diversis 122. Gabarras appellabant, & ut testarentur amorem con-



stantem ex Prov. 17. 17. Quamvis & antea Nicodemus & Iosephus ipsum viderint, Voluerunt enim testari, ut constat ex Iohannis 19. 40. ita scil., quod habet Cyprianus serm. de resurrect. Christi, quod ab earum cordibus non auelli possit dilectio, qua ei adhaeserant, ne recordatio signorum, quae viderant, nec admiratio doctrinae, quam audierant, nec conversationis pia admirabilis sanctitudo, quae fuerant informatae. Ut discamus piam mortuorum curam habere, praesertim Christianorum, ut qui templa fuerunt Spiritus Sancti, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona usus est, Aug. de civit. Dei c. 12. Ita mulieres istae Apostolos & discipulos anteverunt, quippe praecedit mulier ad sepulchrum, quae praecessit ad mortem, habet Chrysol. serm. 74.

7. Tum matutina ad monumentum migratio v. 2. In quo, determinatè tempus speciale: Et summo diluculo. Ratione nimirum termini à quo, dum exiverunt tenebris adhuc existentibus, uti Lucas habet cap. 24. 1. & Ioh. cap. 20. 1. Matthaeus vespere Sabbathi mulieres ad sepulchrum venisse ait cap. 28. 1. Ubi per vesperam non stella intelligi potest, siquidem  $\psi$  non stellam significat, sed tandem, uti apud Homerum usurpatur. & apud



pud Mattheum expresse declaratur, dum additur, appropinquante iam luce sequentis diei factum esse. Eiusdem igitur atq; unius temporis, id est, mediae noctis atq; gallorum cantus fuit: Alter Evangelista nempe finem, alter dixit principium, uti notat Hieron. in epist. ad Hedib. quest. 3. & 4. & Cyrillus lib. 2. in Johannem cap. 44.

8. Et generale: diei primi Sabbatorum. Qui est dies dominicus, sive proximus post Sabbathum, ut *μικα* Graecum pro primo usurpetur, quemadmodum inter Ebraeos notum; dum respicitur ad historiam creationis, ubi simpliciter dies primus dicitur una Gen. 1, 5. Et quidem, ut illa dies fuit initium mundi, sic etiam dies resurrectionis est glorificationis nostrae initium; Quin ut habet Chrysol. serm. 79. dies resurrectionis una dicitur, quia nescit alteram; quemadmodum & cum nos resurrexerimus, unum sequetur Sabbathum aeternum; post quod nullum aliud tempus erit, Apoc. 10, 6.

9. Scopus: Veniunt ad monumentum. Dum antea per totam noctem in preparandis aromatibus fuerant occupata. Et reatus sui titulum, facinoris sui triste documentum, suae cum Diabolo presumptionis, sui questus ferale commercium petunt? ut inde recuperarent



perarent fidem, unde perpetuum sua pravari-  
cationis sustinebant opprobrium, habet Chry-  
sol. serm. 77.

10. Indeterminatè : Exorto sole.  
Quoad terminum ad quem, id est, cum cœlum  
ab Orientis parte albesceret, quod fit utiq; in So-  
lis orientis vicinitate: Ejus enim est ille ful-  
gor, habet Augustin. lib. consens. Evangelist.  
c. 24. qui nomine aurora appellari solet. Ideo  
non repugnat illi, qui ait, cum adhuc tenebræ  
essent, die siquidem surgente aliqua reliquæ  
tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto  
magis oritur lux. Nec accipiendum est, quod  
ait valde mane, seu oriente jam Sole, tanquam  
Sol ipse visus supra terras, sed de proximo ad-  
veniente in has partes Sole (id est, ortu suo jam  
cœlum illuminare incipiente) quemadmodum  
Theophylactus habet, ista intelligenda. Et  
necesse, inquit Maximus hom. 2. de solenn.  
Paschali, ut sol in ejus resurrectione gaudeat,  
in cuius passione condoluit. Et cuius mortem  
lugubri quadam caligine prosecutus est, ejus-  
dem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat;  
Et tanquam bonus minister, sicut tunc obscu-  
ratus est, ad exsequias sepulture, modo coruscet  
in resurrectionis obsequium. Ut intelligas sus-  
perveniente Christi lumine, & Diaboli tene-  
bras



bris dispelli & peccatorum fulgur non subsequi & jugi splendore tenebrosas caligines depelli, atrocita delicta cohiberi. Ut discamus matutinum observare tempus & vigilare: Vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, habet Prosper. sententia 203.

11. Tum de lapide removendo consultatio v. 3. In quo in genere: Et dicebant inter sese. Seu consultabant & cogitabant; Siquidem Iosephus & Nicodemus Domini sepulchrum occluserant lapide, quod non ignorarunt, ut August. lib. 3. de consensu Evang. cap. 24. voluit, quia presentes fuerunt, ubi hoc factum Matth. 27, 61. Marc. 15, 47. sed ostendunt sollicitudinem.

12. In specie per communicationem ratione objecti; Quis revolvat nobis lapidem? Lapis iste, vel nimia tristitia, secundum Bernhardum serm. 35. vel pigritia, vel duritia, qua dum cordis aditum obstruit, frustra ad unguendum mortuum mens, vel manus, vel lingua, cum quibuslibet aromatibus venit.

13. Respectu loci: Ab ostio monumenti. An cordis? querit Chrysol. serm. 82. de sepulchro: an ab oculis? Mulieres? obserata est pectus, oculi sunt clausi; & ideo patefactis sepulchri gloriam non videtis. Licet enim de



resurrectione sua, quæ verba Cyprianus habet sermon. de resurrect. Christi. Ipse tam Apostolos, quam reliquos discipulos, in quorum societate, & ista esse meruerant, magister providus instruxerat; incusserat tamen omnibus dubietatem & terrorem, supplicium crucis & mortis atrocitas. Attamen graviter hoc nemo arguat: aliter dubitat, qui altius credit! decipi non potest qui non est facilis auditui, ut habet Chrysol. serm. 79. de resurrectione. Ut discenda sit, non tantum charitas, liberalitas, sed & mulierum religiositas & magnanimitas, quæ de custodibus & sigillo nihil quicquam sollicita, sed tantum de lapide.

14. Et lapidis revoluti observatio v. 4. Ubi occasio sive eventus: Et cum respexissent. Antea enim pergentes propositum, cogitantes tantum de revolutione, tandem circumspiciunt, ubi propius accedunt: Usurpatur enim compositum pro simplici respicientes, id est viderunt.

15. Et objectum per assertionem: Lapidem revolutum. Quia obvolutus probavit mortem, revolutus vero dicitur, dum exstitit resurrectionis assertor, habet Chrysol. serm. 74. Matthæi quidem 28, 2. modus & causa revolutionis exponitur, quod Angelus in terra



terra motu de caelo descenderit & revolverit lapidem, non ut egredienti Domino præberet aditum, habet Chrysol. serm. 75. sed ut Dominum mundo jam resurrexisse monstraret, conservis ad credendum daret fidem, non ad resurgendum Domino præstaret auxilium, quod & habet Theophylactus in hunc locum, & Nazianzenus, & Justinus martyr, quæst. 117. Nyssenus orat. 2. de resurrect. Domini: Augustinus addit serm. 158. de tempore: resurrectio Domini facta est mirabiliter, antequam Angelus descendit, clauso relicto sepulchro. Revolvitur itaq; lapis ad fidem, quia perfidia fuerat advolutus. Orate itaq; fratres, addit Chrysologus, ut nunc descendat Angelus & duritiem nostri cordis devolvat, aperiat sensuum claustra nostrorum, & resurrexisse Christum nostris etiam testetur mentibus.

16. Per descriptionem ob quantitatem: Erat enim magnus valde. Et propterea eo magis erant sollicita, siquidem pressit saxum legis, saxum ignorantia, lapis peccati & damnationis, sed revolutus Christi resurrectione. Ut ita discamus, si pergitur officium, Deum curare necessarium.



17. Partim est angelica Prædicatio, ubi antecedens respectu mulierum, & est ipsis visa Angeli manifestatio v. 5. In quo effectus antecedens: & ingressæ in monumentum. Nempe ingrediuntur sepulchrum, habet Chrysol. serm. 77. ut consepulta Domino, totam fidei resurgerent in salutem. Lucas addit ipsas corpus Domini non invenisse. Ingressæ verò dicuntur, quia in regionibus orientalibus, ita exstructa erant sepulchra, ut per gradus in illa descendere potnerint. Vt discamus continuare propositum.

18. Consequens, summatim respectu Angeli: Videunt adolescentem. Propter juvenilem corporis assumpti ministerij hujus subeundi gratia speciem; Qui quamvis à Luca vir dicatur v. 4. intelligendum, non de ætate, sed de sexus qualitate. Et quidem appareat Angeli sub specie juvenum, ut significetur eos nunquam senescere, sed quod semper illis sit vigens vis vitalis & immortalitas, ut habet Dionysius de cœlesti hierarchia cap. 15. Et vident juvenem, habet Chrysol. serm. 82. ut cernerent nostre resurrectionis ætatem, quia nescit resurrectio senectutem: neq; ætates recipit æterna perfectio. Illæ verò mulieres vident, quæ cum aromatibus venerunt, quia videlicet  
illa



illa mentes supernorum cives aspiciunt, quae cum virtutum odoribus ad Christum per sancta desideria proficiscuntur Gregorius hom. 21. super Evang. Lucas quidem & Iohannes faciunt duorum mentionem, sed Marcus & Matthaeus illum tantum nominant, qui ad mulieres communi utriusque nomine verba fecerat: Quamvis Augustinus aliter conciliet lib. 3. de concensu Evang. cap. 24. ut dicat ante saxum sepulchri mulieres vidisse Angelum sedentem supra lapidem à dextris, intus verò visos alios stantes. Quem Iuvenem plerique arbitrantur fuisse Gabrielem, partim quia in legationibus Christum concernentibus sedulus fuit Dan. 9, 21. & Luc. 1, 29. Partim quia in resurrectione Christi se fortem demonstravit. Unde elicetur Angelorum prompta officij administratio, in inserviando Christo, simulque piorum sepulchra Angelorum esse habitacula, dum custodiunt ossa eorum Ps. 34, 21.

19. Explicatim quoad situm: Sudentem à dextris. Sedebat inibi ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem sublevandam; Nec praeterendum est, inquit Beda ad c. 28. Matth. quare in Christi resurrectione Angelus, sedens apparuerit, cum is, qui mundo natiuitatis gaudium evangelizabat iuxta



pastores stetit legatur? Stare pugnantis est, sedere regnantis, & recte stans apparuit Angelus, quia adventum Domini in mundo predicavit, ut etiam stando signaret, quod is quem predicabat, ad depellendum mundi principes veniret; Recte ergo prae resurrectionis sedisse memoratur, Vt etiam sedendo figuraret, eum superato mortis autore sedem regni conscendisse quò perpetuo sedeat & regat resurrectionis Magister, habet Chrysol. serm. 74. Ad dextris vero, quia Redemptor noster iam praesentis vitae corruptionem transierat. Recte Angelus, qui perennem eius vitam nunciabat, in dextra sedebat, habet Gregorius, ut nos doceret ad dextram Dei esse iucunditatem Psal. 16, 11. Ad dextram Christum esse collocandum, simulq; etiam nos Matth. 25, 33. Quod autem Lucas ait stetit hoc intelligendum postquam allocutus est ipsas mulieres.

20. Et habitus: amictum stola candida. Amictus, quia Christus summus Sacerdos ingressurus caeleste tabernaculum etiam terrenum voluit nuncium, Matthaeus addit quod ita candida fuerit ut nix, & aspectus eius ut fulgur; quo maiestas angelica natura significabatur. Videtur huius Angeli vultus laetior, aspectus venustior, sermo purior, incessus modestior



stior, & ad omne opus bonum Spiritus promptus; quae omnia, quid sunt alia, quam quidam aeternae resurrectionis similis nuncius, habet Bernhardus in prav. serm. 15. Ita & nos ad letitiam invitat & coram throno Dei & agni indutos vestimentis albis Apoc. 7, 9. praefigurat. Notat etiam gloriam, quam Christus sua nobis resurrectione promeruit Ap. 4, 4.

21. Respectu mulierum; & expaverunt. Seu stupore attonito percussa, partim ob improvisum Angeli conspectum, partim ob fulgorem angelicum. Unde vultum in terram inclinaverunt, uti monet Lucas v. 4. Ut discamus humanam infirmitatem Angelorum claritatem ferre non posse Dan. 10, 13. Ebr. 12, 21.

22. Et respectu Angelorum, quorum Christi resurrectionis est testificatio v. 6. In quo causa; At ille dicit illis. Nempe Angelus, hoc enim est discrimen bonorum & malorum Angelorum: Boni alloquuntur terribiles & consolantur: Mali vel non alloquuntur, vel terribiles praebent desperationem.

23. Et forma, ubi propositio: ne expavefcatis. Hoc est: Quomodo Chrysol. ad haec verba commentatur Ierim. 80. timeat Indaeus, qui tradidit, Pilatus qui addixit, qui illis: Miles qui crucifixit, impietas, crudelitas,



tas, amara pocula, quæ propinavit; Sevitia, quæ sepulcrum obsedit: perfidia, quæ emit mendacium: fides, quæ vendidit: Inhumanitas, quæ Dominum suum resurrexisse dolet: Vos autem gaudere convenit, non timere: Et Gregorius, caveant illi, qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi ad eorum societatem se pertingere posse desperant: Vos autem cur timefcitis, qui vestros cives videtis?

24. Et ratio ab adjuncta notitia de mulierum proposito, cujus denotatio: Jesum quæritis. Quasi dicat; optime novi ego vos venisse quæsitum, unctum corpus Christi; Id quod habuit partim ex revelatione, partim ex propria intellectus sagacitate & ex signis quoque externis.

25. Tum declaratio: Nazarenum, qui fuit crucifixus. Angelus predicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem, fatetur mortem, habet Chrysol. serm. 76. Glorietur in cruce tanquam trophæo Christus, quo nobis omnia conciliata sunt, & mentio crucifixionis gloriam resurrectionis amplificat.

26. Et Angeli indicatio per assertionem: Surrexit. Cateri quidem suscitati dicuntur, habet Bernhaidus, Christus surrexit, qui



qui solus virtute propria prodiit de sepulchro. Id quod etiam scriptura sacra testantur predictiones 1. Cor. 15, 3. Psal. 16, 10. Ps. 110, 7. Es. 22, 7. Os. 13, 14. Mich. 2, 13. Typi Iona 2, 11. Simsonis Iudic. 14, 6. Testes ut hoc loco celestes & terrestres. Et quidem tertiâ die, uti praedixit Matth. 16, 1. Et praefiguravit Ionas, Matth. 16, 12. Non quidem quasi integros dies compleverit, sed tertiâ die: Et eâ ipsâ horâ, quâ ipse voluit, ut habet Hieron. ad Hedib. epist. 150. quaest. 6. Ante quam resurgere noluit, ut mora esset inter mortem & resurrectionem, & mors ejus vera crederetur, habet Chrysostr. hom. 44. in Matth. Neq; tamen post diem tertiam, ne quispiam obiiceret ipsum non idem, sed aliud corpus circumferre, ut loquitur Athanasius lib. de incarn. verbi ex Ps. 16, 10. Et ne turbatos discipulorum animos longâ inuestigacione auget, qua ratio est Leonis lib. 1. de resurr. Domini. Resurrexitq; ita ex sepulchro ob scripturae adimpletionem, ob mortis suae certificationem & sepulchrorum nostrorum consecrationem.

27. Et per remotionem in genere: non est hic. Nempe ut vos eum quaeritis inter mortuos, quò ungi possit. Negatur ergo praesentia naturalis & localis, non gratiosa &

Rr

per-



personalis. Unde Chrysol. serm. 77. addit, non est hic secundum id, quod in loco extitit: Hic est autem per hoc, quod ubiq<sup>3</sup> est & loci capacitate non clauditur. Per presentiam carnis non est hic, ait Gregorius, qui tamen nunquam deerat per presentiam maiestatis. Recte enim concludit Angelus ab absentia locali, ad negandam presentiam localem, alias omnia implet operatione, idq<sup>3</sup> in carne, quandoquidem divinitate jam antea cuncta complerat. Theophylactus in cap. 4. Ephes.

28. In specie testimonio sensuum, & demonstratione oculari, adhibita particula attentionis: Ecce locus, ubi posuerunt illum. Vocat Angelus ad videndum sacri corporis loculos, habet Chrysol. serm. 77. quos Diabolo occludente vetite arboris macularat aspectus; & ostendit locum Chrysol. serm. 76. ne aliter sed reipsa eum resurrexisse crederetur ex mortuis; non ut Hierosolymam adeamus sed ut credamus.

29. Et resurrectionis discipulis annuntiatio v. 7. In quo mandatum generaliter: Sed abite. Muliercuic quidem intentae erant in sepulchrum vacuum, sed Angelus ablegat eas. Et quidem cito, quod Syrus per celeritatem interpretatur: quia tarda obsequia Deo

non



non placent. Vnde non iubemur ad monumen-  
tum Christi abire, sed ad homines, neq; inibi  
manere, sed alia expedire.

30. Specialiter: Dicite tum discipu-  
lis ejus. Et ita Angelus constituit, hic has mu-  
lieres Apostolorum Apostolas: quasi diceret:  
revertimini ad virum mulieres iam sanata, &  
suadete fidem, quum olim Eva perfidiam sua-  
serit. Et quam felices foeminae, habet Beda, qua  
Evangelico docta oraculo, triumphum resur-  
rectionis mundo annunciare meruerunt. Prae-  
terea Angelus hic non foeminas, sed Ecclesiam  
in foeminis mittit, sponsam ad sponsum, ut an-  
nuncient Apostolis, quia per mulierem mors  
annunciata.

31. Tum Petro. Quia nim. propter ter-  
nam Christi abnegationem in maximâ erat pra-  
reliquis consternatione. Et si hunc Angelus no-  
minatim non exprimeret, inquit Gregorius &  
Theophylactus, qui Magistrum negaverat, ve-  
nire inter discipulos non ausus fuisset. Vocatur  
ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Ut  
discamus summam Dei in peccatores lapsos boni-  
tatem & longaminitatem. Non autem Petro  
iubentur nunciare propter monarchiam, sed  
propter in Petram gratiam: peccata enim pra-  
erita non nocent. habet Greg. hom. 21. in Ev.  
quando non placent. Rr 2

32. Et



32. Et eventum, quoad antecedens; quia præcedet vos in Galilæam. Brevis sententia syllabis, sed ingens in quantitate: promissus ibi est gaudij nostri fons & salutis aeternæ origo. Properate igitur, congregentur dispersi & sanentur contriti corde; Jam quippe Redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pœna ad gloriam, à corruptione ad incorruptionem transmigravit: Galilæa enim migrationem significat. Ut discamus migrare à carne ad spiritum, à vitiis ad virtutem, à tenebris ad lucem, & ad cœlestem Galilæam properemus.

33. Quoad consequens, de loco: Ibi eum videbitis. Si prius à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigrabimus, resurrectionis gloriam læti videbimus. Ut discamus, ibi esse Christum, ubi suam manifestationem promisit.

34. De modo, quem probat testimonio promissionis: Sicut dixit vobis. Id quod factum est Matth. 26, 33. Marc. 14, 28. Quod quidem mulieribus non dictum, sed mulieres ex Apostolis habuerunt. Et quod Apostolis dictum omnibus dictum Marc. 13, 37. Quæ tamen intelligenda sunt de privatis, non de solennibus & diuturnioribus apparationibus: nam in  
 Indea



*Judaea viderunt Christum resuscitatum mulieres, Petrus, Cleophas & comes ejus, decem Apostoli cum Thoma itidem, qua apparitiones quasi privata & breviores fuerunt. In Galilea apparuit per 40. dies Act. 1, 3. & 500. fratribus 1. Corinth. 15, 6.*

35. Consequens, est mulierem trepidatio v. 8. In quo modus, quoad ipsas, summam per assertionem: Et exeuntes fugerunt è monumento. Quo celeritas & summa festinatio mulierum denotatur. Angelus sedes in monumento, habet Chrysol. serm. 72. de monumento fugiunt mulieres, quia ille de caelesti substantia confunduntur, turbantur ista de conditione terrenâ sepulchri, mori non potest, timere nescit, mulieres autem & de facto tremunt, sicut mortales mortaliter expavescunt.

36. Et p rationem: tenebat autem eas tremor & stupor. Ex Angeli claritate timebant, pra miraculi immensitate stupescebant.

37. Et eventus, cujus forma: Et nemini nihil dixerunt. Quamdiu metus & stupor iste duravit; Et quidem rectè: mulieribus enim audire, non loqui datum est.

38. Et impulsiva: timebāt enim. Quamdiu ergo timore percussa & animum recolligere non poterant, nemini quicquam dixerunt.



Mox verò ubi supervenit Iesus, omnem metum eis ademit *Matth. 28, 9.* Atq; ita Maria & vadit, & nunciat, jamq; non foeminam, sed Ecclesiam gestat, *Chrysol. serm. 72.* ut ibi sicut foemina tacet, hic ut Ecclesia enucleat & loquitur. *Vt discamus, licet perculsi simus timore, postea tamen loqui & gaudere.*

---

N O T A E.

I.

**S**Ummo mane ad monumentum] Considera *charitatem summam mulierum in unguendo: Ut discas nihil intermittere, quod faciat ad testandum amorem.*

I I.

**Q**uis revolvat lapidem] Considera, *licet dubitarint de revolutione lapidis, tamen perrexisse: Ut discas, etiamsi difficultas occurrat, perseverare in proposito.*

I I I.

**V**iderunt sedentem Angelum super lapidem] Considera *Angelum sedisse super lapidem: Ut discas aequè carnem tuam suppressere & subjugare.*

CASUS.



## CASUS.

An mulieres potuissent accusari sepulchri violati?

**A**firmendum esse videtur. Quia 1. ob-  
signatum Matth. 27, 66. jam resigna-  
re est violare. 2. Quia qui lapides sepul-  
crales auferunt, si inscio domino faciant,  
serui in metallū damnantur, si conscio, re-  
legantur l. 2. C. de sepul. viol. Menoch  
Arbit. c. 387. n. 15. si liberi homines ul-  
tra restitutionem mulctantur de jure ff. C.  
l. Prætor ait ff. de sepul. viol. l. qui  
sepul. C. eod. tit. Jodoc. in Practic.  
enim c. 109. Rub. de sepul. viol. l.  
3. Etiam removens sigillum à literis prin-  
cipis pœna falsi tenetur Menoch lib. 2.  
Arbit. c. 538. n. 18.

Contra 1. Ex pietate fecerunt: unde  
emerunt aromata & prepararunt eadem:  
quia honorare voluerunt corpus Domini.

2. Sine dolo id egerunt; jam pœna  
violati sepulchri non habet locum in iis,  
qui sine dolo delinquant l. 3. §. primâ  
verba ff. de sepulchro violato. Cujacius  
lib.



lib. observ. c. 22. Menoch. casu 387.  
n. 23. quia in omnibus delictis requiritur  
dolus Clar. in pract. q. 84. in Princ.

3. Deniq; pœna non habet locum nisi  
sint sepultura perpetua l. 3. §. non perpe-  
tua ff. de sepul. Menoch. l. d. n. 24. & 25.  
jam Christus non debuit inibi manere, uti  
patet, perpetuo, nec poterat Ps. 16, 10.

Ad contraria 1. Non recordata de  
eo. Ideoq; sine dolo fecerunt. Ad 2. tan-  
tum pœna arbitraria puniuntur secundum  
Abbatem in c. cum olim Magister  
n. 44. de officio delegati post Innoc.  
Hic autem dolus nullus: nec sigillum ap-  
positum, ut secretum maneat, sed ne mor-  
tuus subtrahatur. Deniq; non factum:  
in criminalibus autem voluntas, nisi de-  
lictum intendatur, si quis verò intendat  
utilitatem ut Cnejus Flavius, qui libros  
sustulit in l. 2 §. postea ff. de Orig. tunc  
non punitur, sed premium consequitur,  
habet Tiraquell. de poen. temp. caus. 52.  
n. 2. Farin. lib. de poen. temp. q. 98.  
nam actus consilio metiendi  
sunt.



Ad Respondentem.

**F**ortis erat Victor, leo ceu perripit in auras  
Christus, & a Satana quando trepida tulit.  
Sabbata transierant, & aroma Maria pararat  
Jesum cum reliquis ungeret utq<sup>3</sup> suum.  
Vix renovata redux prima matuta diei,  
Ad tumbam concors gens Mariana venit.  
Talia dicentes inter se: queso revolvat  
Quis lapidem? tumba, quo sit aperta foris?  
At simul ac cernunt, viderunt esse remotum  
Hunc, quamvis esset maximus iste lapis.  
Introeunt, juvenem dextris cernuntq<sup>3</sup> sedentem  
Albet cui nivea corpus ubiq<sup>3</sup> stola:  
Utq<sup>3</sup> videt subito timidos tremor occupat art<sup>9</sup>,  
At juvenis timidis talia verba refert:  
Quid vobis? nolite pavescere! querere Jesum  
Vultis? Non est hic, surxit, & ecce locus!  
Non est hic surxit, vacuus locus iste, repostus  
Quo fuerat, rursus nam redivivus adest.  
Ite sed, ac ejus sociis, quin dicite Petro,  
Nam vos praecedit qua Galilaea patet.  
Rursus ibi, ceu dixit & ipse, videbitis ipsum,  
Dicite discipulis, dicite queso Petro.  
Talia nunc repetit Starckloffius. Ista sed usq<sup>3</sup>  
Pergat! ei curret fortior aura Dei.

Ita optat

GUEINZIUS.



**H**aut parva laus ! li quore  
Vivo rigasse Pindi,  
Rivo rigasse Pindi  
Sua labra : sed labore,  
DEI Sacris amore,  
Piis dedisse mentem,  
Diis dedisse mentem,  
Et pluris est honoris,  
Et pluris est laboris,  
Et pluris est decoris,  
DEI sacris labore,  
Diis dedisse mentem,  
Piis dedisse mentem.  
Utrique sed dedisse,  
DEI Sacris dedisse,  
Sophiæ dedisse mentem,  
Suprema laus honora,  
Suprema laus decora,  
Decus optimum laboris,  
Decus optimum decoris,  
Honoris & decoris,  
Decoris & laboris.  
Sis maclus ergo Amice,  
Multiplici decore,  
Multiplici ac honore,  
Futurus es Amice,  
DEI sacri Minister  
Sophiæ simul Magister  
Futurus es Amice.

GEORG-CHRISTOPH CORECKERATIUS.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017



EVANG.


CHRIST

HALL

Q2 C







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ARUM  
LICARUM

*cesima Tertia*

SIDE

GUEINZIO

Hallensis

tore


dente

CHIORE *Starekloff*

Thuringo

PASCHATIS.

.o. Inc. III.



XONUM

Melchioris Oel-

ely

*Dn. Rnt*

